





x.

18.

MYSTERIVM  
PACIFICATIONIS  
SAXONICÆ:

PIR NAE in Misniâ tractatæ;  
PRAGÆ verò promulgatæ.

Anno 1634. & 1635.





LITERÆ JESUITÆ  
Colonienſis, ad Patres Muſſipontanos.



*IRNENSIIUM* Decretorum Reverentias vestras & Paternitates participes facio: nec dubito, quin primâ fronte vobis sint motura: cum apparenter Hostibus nostris & Hæresi multum faveant. Et certè mirum, quòd Galli nondū adhuc hinc novam ansam calumniandæ Domus Austriacæ ceperint: cum tam immensa Catholici sanguinis copia, pro dilatandâ Ecclesiâ effusa, Hæresin non stitisset sed potius Austriacâ conniventia promovisset, jam argumento illis esse possit, Jus episcopale Urbibus imperialibus, illis Decretis, ablatum.

Verum R. & P. vestras, & præsentis temporis status, & novū ex Galloꝝ motibus emergens periculum, non latet: quorum antecedentibus & consequentibus bene perpensis, sensum & finem verum illorum Decretorum penetrare, facile vobis erit.

Scitis, civiles motus quoquo modo esse compescendos: & cū majæstatis damno, cū mea aliter servari nequit, federa solvenda sunt: ut, qui universi superiores sunt, singuli tandē aliquando vincantur. Hos si escâ hac captos separaverimus à cæteris sociis: facili & brevi momento concidet, quicquid contrariarum partium reliqui fuerit: deinde, suo loco & tempore cum illis, de rebus ecclesiasticis transigetur; & futurorum motuum autoritas illis subtrahetur. Nec est, quòd etiam miremini, Saxoni suæ rebellionis præmium esse indultum. Tantum enim abest, ut hinc ei vires accrescant: quòd è contrario invidia Sociorum hisce pactis in illum concitabitur; & quâ pollebat apud suos autoritate, cadet. Latet ubique anguis in herbâ.

*bâ. Nihil concessum, nihil conclusum; quod prius à Nostris nõ fuerit ponderatum, & in recessu aliquid non habeat.*

*Considerate, quantum Ecclesie accedat: quòd hisce pactis, non solum Hæresis à Bohemiâ, Austriâ, Moraviâ, exsul fiat; sed etiam dicti Regni, & Electoratus ei annexi, hereditarium ius Mæcenatibus nostris, & Ecclesie patroxis, confirmetur.*

*Quòd Palatino nulla adhuc venia indulgeatur; neque ejus spes affulgeat: sed ipsius pœna ceteros exemplo adhuc lancinet & carpat: & quòd hinc flammula, pro re natâ, in hæresin incendiis, & quibusdam aliis Britannicis tractatibus accommodanda, restet. Et demum, quòd, qui pro Libertate se pugnare profitebantur, jam Perduellionis crimen fateri, & ejus veniam deprecari, cogantur.*

*Hæc equidem satis aestimari nequeunt: præsertim cùm cetera damna brevi resarcienda veniant; si secessus Gallorũ ab illis obtineri potuerit. Quod futurũ speramus, quàm primũ illorum quosdam quibusdam condonationibus, vel etiã donativis, in nostras, vel saltem neutrales partes, allexerimus. Sic etiam quorundã defectione omnium disgustus movebuntur.*

*Galli, qui ad vindictam nati, faciliori vinculo, ad eam sumendam per Mazarinum, nobis conjungentur.*

*Sed inter cetera mirum Vobis videatur, quòd Darmstadiensis tam anxie & fideliter pro Nobis, etiã volens, mediatorẽ agit; & acri conatu Juris illius episcopalis concessionẽ, Principibus nostris approbare nititur, tanquam temporari consentaneam, & rebus nostris necessariam. Tantum potest apud Hæreticos occupatorũ conservatio: ut sua hæresi elongè anteponãt. Sed præ ceteris L U P I ingenium, tanquam stupendũ, omnes admirantur; neq; ei satis dignas, pro tam fideli & forti nostrarum partium propugnatione, refundi posse gratias, fatentur.*

*(Hic multa adhuc cum Cifris scripta exstabant.)*

*Quæ cùm certa & vera sint: spem vestram interim & sustinete, & fovete; socialibusq; vestris cum nostris precibus Deum*

veneramini: ut effectum brevè omnia ea sortiantur; & ad-  
jus gloriam & suæ Ecclesiæ propagationem succedant. Inte-  
rim Vos divinæ & sacræ Virginis Mariæ protectioni, & me vo-  
bis, commendo. Data Colonia, 10. Jan. Anno 1635.

COPIA LITERARUM CÆSARIS  
ad suum Legatum Romæ manentē,  
de conclusâ Pace cum Duce Saxonie.



ERDINANDUS &c.

De Pace cum Electore Saxonie, bene volente Deo,  
conclusâ, ex proximis nostris, secundâ hujus Mensis datis, intel-  
lexisti. Interim, non modò de publicatione ejusdem Pacis, die  
tertiâ Maji Praga peractâ, certiores facti sumus: sed & Ta-  
bulæ ipsæ conventionis, utrinq; à Commissariis signatæ, ad nos  
allatæ sunt. De quâ re etiam publicè promulgationē fieri cu-  
ravimus. Significamus per adjunctas literas ea, quæ hæctenus  
facta: quas primo tempore reddes.

Ad Pacem ipsam quod attinet: jam antè facile prævide-  
mus, quos illa sermones hominibus datura sit. Erunt malevo-  
li, qui illam reprehendant: erunt imperiti rerum, quibus ea  
displiceat: non deerunt, qui per eam Religioni incommoda-  
tum; aut certè minùs, quàm pro voto, commodatum, sint pu-  
taturi. Quorum primis difficile erit unquam satisfacere. Se-  
cundis ignoscimus. Tertios & quartos ipsæ Pacis tabulæ, ubi in  
publicum edentur, ab hac opinione liberabunt. Quos proinde  
requisitos velimus: ut tantisper, de totâ hac re, judicium sus-  
pendât suum; ac interim itâ firmiter de nobis existiment: eam  
nos semper curam habuisse Religionis; quam & officium sum-  
mi Imperii nostri muneris exigit; zelus & affectus noster, &  
Domus

Domus nostræ nationis, fert; tum temporum quoq; & rerum quam ratio voluit: nec magis ulli doliturum esse; si culpâ aliquâ nostrâ illa vel minimū detrimentū pateretur. Hanc opinionē ubi firmā habuerint: tum illud facile intelligēt; quicquid esse possit, quod ipsi Religioni commodatum velint amplius; id illi non ab alio, quàm urgentissimæ necessitatis vi, ademptum fuisse. Quæ quidem necessitas, qualis quantaq; fuerit, non immeritò veremur, ut quisquam plenè percipiat, aut imprimi sibi patiatur: nisi qui vel spectator præsens, vel pars malorum fuerit, quibus universam hanc tam nobilem Germaniæ provinciam, contiuum septemdecim annorum bellū, plus quàm miserandum in modum afflixit, ac tantū non funditū evertit.

At, si quis tamen vel in genere sibi objecerit; quòd bellum calamitates communiter comitari soleant: ac tum perpenderit, quos stimulos, in hoc bello, ad contentionem Religio, tam altè hominum animis infixæ, vel ejus opinio, utrinque addere potuerit; quamq; hinc sacrorum profanorumq; permixtionem consequi necesse fuerit: ubi, quod his sanctum, illis execrabile, ac econtrà, videri oportuit: in quo utraq; pars sibi, non magis de bonis hisce ac vitâ fragili, quàm salute ipsâ æternâ, decertandum, adeoq; extrema omnia pro eâ toleranda, putavit: Is assequi aliqua tenus poterit, quæ, ad bellum diutiùs in his regionibus continuandum, media reliqua esse potuerint.

Idem deinde si seriò consideraverit, quæ discrimina intereà universa Religio, ex nostrâ parte, fortunâ vices suas variante, subierit; quæ, quanto tempore, Catholicorum provincia in Acatholicorū manibus hæserint, quæ nunc quidē omnes recuperata sunt: quàm etiam parum auxilii ab iis Nobis suppeditatum sit, quorum in hac causâ primæ esse debebant: tum etiã econtrà, quæ omnium adverse partis sint vires; quibusq; ea, non modò Acatholicorum, sed Catholicorum, (proh dolor!) subsidiis nitantur: demum etiam, externa atq; extrema cir-

cum spexerit, quæ ab infestis undique gentibus, ac quàm maximè hoste vicino perpetuo, non nostræ tantùm, sed universæ Christiani nominis Rei-publicæ, timenda fuerint ac sint: constat ex illâ tantâ potentiâ, totq; stimulis, quos illi, non modò A catholici, sed Catholicorum non-nemo, (quod horrendum est dictu) ad nos invadendos, continuò per Legatos suos subdere non cessârunt, nec etiam nunc cessant. Mirabitur forsàn quis, non quòd pacem tandem aliquando acceptandam duxerimus; sed quòd in eâ pertractandâ lentiùs processerimus, quàm vel minùs è republicâ sit, vel dignitati etiam ejusdem & nostræ adversari possit. Quin potiùs contrà à non-iniquis arbitris, ac in-primis Religionem quod attinet, ità iudicatum iri confidimus: per hanc Pacem illi non detractum; sed additum & luci-factum esse. De quo quidem Tabula ipsæ, ut diximus, propedièm luculentius testabuntur.

Ac ut vel obiter hos etiam consolemur, quibus tam cordi est Religio: breviter saltèm illud, quo illi commodatum censemus, cuiusmodi sit, subjiciendum duximus. Ac in-primis, si nihil aliud esset, quàm quòd per illam omnes Electores, ceteriq; Principes S. Rom. Imperii, tam seculares, quàm ecclesiastici, ceteriq; omnes Status Catholici, suis ditionibus postliminiò restituantur; atq; in iisdem ditionibus Religio Catholica asferitur; tot millia animarum ex presentissimo perditionis æternæ subeunda periculo liberantur: haud-parum ab eâ re, ut credimus, Religioni commodatum esse, putare possemus.

Sed proximum huic est, quòd per eandē, in manus nostras Archiepiscopatus Bremensis, unà cum amplissimis aliquot Episcopatibus, Halberstädiensi, Mindensi, Verdensi, & Osna-brugensi, remittitur: Præscriptio centenaria Confessionis Augustanæ interrumpitur: similiter & Præscriptio Bonorum ecclesiasticorū, Imperio immediatè subjectorū, quæ ante Transactionem Passaviensem Catholicis erepta fuerunt, impeditur: iisdem Catholicis ubivis, in quibuscunq; Ecclesiis, tam  
cathe-



cathedralibus, quàm aliis, etiam iis, quorum apud Acatolicos manet possessio, nunc, & in posterum, Menses papales, Preces primariae, Canonicatus, Præbendæ, Beneficia, stabiliuntur: in Monasteriis, & domibus his religiosis, postulationes & electiones servantur; non obstantibus statutis Acatolicorum quibuscumq; etiam juratis, quibus Catholici ab his arcentur.

Quantivis deinde precii est, quòd in Collegio electorali, nobis & parti Catholica, unius voti confirmatur & stabilitur accessio. Tum ipsa etiam ditiones Palatino ademptæ, vel jura ad easdem pertinentia, Catholicis conservantur. Item, quòd in universum, in causis Religionis, Juris-dictioni nostræ, ac Consilii nostri aulici, irrefragabile adjicitur robur. Res super Actis utriusq; submissis hætenus judicata, & in posterum judicanda, obtinentur. Principibus & Statibus Catholicis, de liberâ potestate reformandæ Religionis, in suis ditionibus, hætenus semper mota tollitur. Similiter in causis spoli, quoad Bona ecclesiastica, juris-dictio nostra, hætenus semper impugnata, extra dubium ponitur: quod spatio annorum 40. in pactis expresso durante, absolutè obtinet; & postea in casu paritatis votorum, Consilii constituendi eandem vim retinet.

Excluduntur dehinc ab hac pace, sive ejus Amnistiâ, complures Acatolicorum, in quorum manibus nunc magnus numerus est Monasteriorum, aliorumq; Ecclesiasticorum beneficiorum; quorum meritò nobis cura erit, ut ea saltè Ecclesiæ restituantur. Quâ ratione fructus Ecclesiastici magnâ sui parte salvabuntur. In eadem causâ sunt, qui huic Paci se accommodare nolunt. Ad quorum utrosq; debellandos, Acatolicorum arma obligantur. Excluditur ab eadem hac Pace, si non expressè; saltè tacitè: de expresso tamen consensu & approbatione partis alterius, omnis, qui Calvinismo adheret, Secta tam turbulenta & perniciose; restricto PROTESTANTIUM nomine ad solius Confessionis Augustanæ sectatores, contra reiteratas callidissimas instantias plerorumq; Protestantium a-

pud.

pu*d* Electorem Saxonia. Civitas ipsa Augustana sic reformatur; ut Ecclesia Catholica & Apostolica omnia Temp*l*a restituantur: & A*ca*tholicis permittitur tantum loci, quantum prounius vel alterius domo vel a*di*ficio sufficere possit.

Demum, & Lotharingia, tam nobilis & intemerata haec*te*nus ab omni heresi provincia, à periculo ejusdem haurienda pr*ae*servatur; vel potius ex faucibus ipsis eripitur.

Et tantum quid*e*m in Imperio Religioni acquisitum boni. At in nostro Regno hereditario Bohemico, ceterisq*ue* Domus nostrae propriis Provinciis, hoc obtentum: ( quod nescimus an per se solum non indignum hujus Pacis precium sit estimandum ) nimirum quòd per eam, cassatis Literis Majestatis, in iisdem religio nostra catholica, pro-ut à nobis restituta est, in perpetu*u*m stabilitur: contra quàm plerique Protestantium, nec non & Rex Christianissimus, omni ope sibi adnitendum putarunt.

Nolumus h*ic* commemorare alia haud minoris faciend*a* c*o*mmoda, quae in emolumentum cedunt, non Germania tantum, sed totius Christiani orbis, ac vicinarum maximè Regionum: ut sunt, morum correctio, disciplina ac politia instauratio, liber mercimoniorm*u*sus. Nec omittendum sanè, quòd hac Pace, contra A*ca*tholicorum vim, non Germania tantum, sed & vicina Regna & Provincia; nec non & Italia, ac ipsa met Sedes apostolica, ( cui ipsi per hos annos exitium minitati non semel sunt ) in tuto collocatur.

Erit quoq*ue*, per eandem hanc Pacem, unde & serenissimo nostro Nepoti, Regi Catholico, Haresis in Belgio debellanda, facili*o*r paretur copia. Postremum sit, ( quod primo forsàn loco ponendum erat ) quòd per hanc Pacem Germania vires denuò conjunguntur; & ad resistendum validius, siue in Hungaria, siue in Polonia ingruat periculum, ab Inimico uniuersae religionis Christianae, ut infensissimo, ita periculosissimo, Turcà. Quanti faciend*a* sit haec res, ita facilius estimabit: qui cogitat, quid futurum fuisset, si is Hostis nos jam aggredi volu-

voluisset; quum & nostra & Germania vires essent exhaustae,  
nec fors an unquam ipsitalis occasio, rei suae bene gerendae, of-  
ferretur. Addimus, quod speramus, per hanc Pacem, por-  
tam aperiri ad generalem & universalem totius Christianita-  
tis pacem, per quam Religio catholica & augeatur, & in se-  
curo collocetur: ad quod Nos omnes nostras vires intendemus.

Haec sunt ferè Pacis hujus commoda. Si quis tamen est, qui  
plura desiderat: eum nos non culpamus; sed petimus, ut non  
nobis imputet, quod plura perficere non potuimus: sed illi, qui  
in causâ est, & nos impedit; nempe Regi Christianissimo:  
qui non solum A catholicos haëtenus contra nos fovit; Regem  
peregrinum, percusso cum eo federe, in Germaniam attraxit;  
sed etiam non est veritus, Principem Catholicum è ditione suâ  
expellere, & nos ipsos armis petere. &c.

---

MANDATORUM A' LEGATO BRITANNICO  
ad Cancellarium Regni Sueciæ editorum  
exemplum.

**S**ERENISSIMAE ac potentissima Regia Majestatis Regnorumq;  
Sueciæ Cancellarie, Senator, eorumq; apud Exercitus per Germaniâ  
Legate, Federis euangelici Director generalis, Domine illustrissime, ex-  
cellentissime, ac plurimum colende. Quantum de universâ Re-publicâ  
Christianâ, complurimis praesertim Germaniæ Principibus ab aris & focus  
exsulantibus, & de Patriæ libertate anxie laborantibus, eximiâ suâ vir-  
tute, ac fortitudine planè incomparabili, meruerit inclytissime memoriæ  
Rex, GUSTAVUS-ADOLPHUS, verè MAGNUS invictissimusq; quan-  
tumq; hoc nomine sibi optimos quosque devinxerit: res gestæ, aeternitate  
admodum digna, perperuisq; Annalibus consecrandæ, & ab oblivione vin-  
dicandæ, satis abundè restantur. Quod minùs adeò pium & salutare sus-  
ceptum, & eò usq; perductum opus, ipso vivente, finem optatum assequi  
potuerit: praeter ineluctabilem vim fatorum, & arcana consilia divina  
Providentiæ, ( quibus evolvendis impar est humana fragilitas ) corruptis-  
simi hujus seculi, sua bona minùs agnoscentis, ingratitude, invidia, ma-  
liticq;

B

liticq;

litiæq̄, dubio procul, acceptum ferendum. Et quanquam, tanto sidere delapso, ipso scilicet, qui vitâ suâ publicam salutem magnâ ex parte cōplectebatur, ex hominum consortio sublato, Eclipses quadam intervenere; quæ aliquamdiu suspensas tenuere hominum mentes, gloriamq̄ justissimæ causæ paulum obscurârunt: erupit tamē denuð (multorū vi, fœdâ, fedi fragâ turpiq̄, ingratitude, frustra renitentibus) in pristinum splendorem; ipso Deo exercituum approbante ac favente, qui copias & exercitus Suecicos, sub directorio & auspiciis Ill. V. Exc. tot nuperis insignibus victoriis, tamq̄ admirandis successibus beavit: ut fato potius & oraculo, quàm humanis opibus aut consiliis, tanta rerū prosperitas tribuenda esse videatur. Quæ cum cunctis passim gentibus ac nationibus, Regnorum verò moderatoribus precipuè, cœlestis curæ diviniq̄ numinis, tam pia arma & consilia vindice ac victrice manu usq̄ comitantis, illustri sint documento; nec minus Bonis omnibus grata esse debeant: suam quoq̄ hac in parte letitiam profiteri ac contestari in primis voluit Ser. ac Pot. Magnæ Britaniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defensor, Dominus meus clementissimus. Qui propterea Ser. Maj. Sueciæ, de tantâ rerum suarum felicitate, ex animo gratulatur: eidemq̄, cum amicissimâ ac fraternâ salutatione, auspiciatissimam Imperii administrationem, diurnam & inconcusse valetudinis usum, prosperrimos consiliorum ac votorum successus, omniaq̄, quæ regiū fastigium ornare & augere possunt, obnixè apprecatur. Hæc q̄, & alia, regii sui animi, & benevolæ voluntatis, studia & officia, cum Literis hisce peramanter deferat regia Britanniarum majestas; easdem V. E. exhibere jusfit, ulterius, datâ opportunitate, S. Suec. Regine transmittendas.

Deinde in mandatis dedit Rex ac Dominus meus Ser. in primis significare, quàm sibi grata sint merita & officia, quæ abundè semper contulerit V. E. in causam Palatinam: quantâq̄ voluptate ipsum affecerit nupera ejusdem declaratio, quâ piam ac laudabilem, gloriosissimi Regis sui, suamq̄, innocuos Principes juvandi, & inter alios vel maximè Ser. Electorē Palatinum ( ut-pote firmissimo Pacis fundamento ) in integrum restituendi, intentionem publicè contestata sit. Et, sicuti V. E. benevolâ hac animi sui propensione, constantiq̄ affectu, non modò Principem Electorē, hujusq̄ Domum universam; verùm etiam Regem ac Dominum meum, sibi magno benevolentia vinculo constrinxerit: ita Maj. sua eidem propterea gratias, quas habet, agit longè maximas; majores verò debere profiteretur. Nec opus esse censeat, Vestra Exc. fusiùs explicare, quàm necessaria sit hæc restitutio ditionum dignitatq̄, Domus Palatina, Evangelicis

Princi-

Principibus, Rebusq; publicis Germanici Imperii: cum hoc nemini meli-  
us, quam ipsi, cognitum sit; nullamq; absq; illa pacem, quae saltem tuta,  
fida, & honesta esse poterit, vel sperari; multo minus pristinam inter  
Principes ac Ordines fidem, concordiam, consensionemq; animorum, con-  
stitui ac stabiliri posse.

Quae cum ita sint: V. E. nomine S. M. R. Regnorumq; Sueciae, partem  
arbitrii belli pacisq;, in publica Libertatis vindiciis, ingenti cum laude,  
suam fecerit. Rex ac Dominus meus, Eandem me non tam hortari, quam  
obnixè rogare, iussit: ut in heroico justissimoq; suo proposito, quod pro  
assertione Rei euangelicae, causaeq; Palatinae, singulari cum circumspe-  
ctione suscepit, non modò ipsa constanter & impigrè pergere; (de quo ni-  
hil dubitat) verum etiam & reliquos Sueciae Ordines, pro auctoritate quae  
apud eosdem pollet, eodem disponere dignetur: quò omnes pariter, con-  
iunctissimis animis & operis, publicam salutem promoveant & propu-  
gnent; nec cessent, donec metam, quò collimant, sint assequuti. Regiam M.  
Britanniarum interim pollicente, Vestram Exc. operam & studium, hac  
in parte, haud in immemorem aut ingratum collocaturam; sed in ejus-  
modi Regem, qui & vires & voluntatem habeat compensandi, Illamq;  
suosq; singulari gratia & favore usq; prosequendi: quiq; haud minùs er-  
ga S. Regiam M. Regnumq; Sueciae, pro tantis collatis beneficiis, in Soro-  
rem unicam, huiusq; Liberos, gratitudinem animi praestiturus, re ipsa de-  
monstrabit, quam bene cupiat illorum commodis, honori & emolumento:  
Ipsosq; propterea omnia, quae ab amicissimo gratisimoq; Rege vel profi-  
cisci, vel exspectari queant, sibi polliceri iubet.

In praesentiarum, ut appareat, quantum in V. E. virtute, prudentia,  
amicitiaq; reponat fiducia: Eandem de rerum consiliorumq; suorum sta-  
tu certiorum facere voluit Rex ac Dominus meus serenissimus; mihiq; in-  
iunxit, & in commissis dedit, ipsi significare: Se ab Aulâ Caesareâ nuper  
accepisse speciosas admodum propositiones oblationesq;, tam pro cassatio-  
ne Banni, quam pro restitutione Palatinatus: Caesarem quoq;, in hunc fi-  
nem, Commisarium suum in Angliam illicò ablegaturum; ac petiisse, ut  
Regia M. Legatum, mandatis ac plenipotentia instructum, Viennâ trans-  
mittere velit: Caesareanis porro pollicentibus, se-se, in hac causâ, ultra  
spem & expectationem ipsius M. gesturos & procesuros.

Fam verò, licet eadem M. tot antea legationibus, intercessionibus, a-  
liisq; experimentis frustra susceptis, quasi fatigata, justissimam causam  
habuerit, alia consilia ineundi, armataq; manu serenissimo Nepoti, ut

pote Principi optimo atq; innocuo, jus suum vindicandi : tamen, ut per-  
spicuum ac manifestum fiat Regibus, terrarum dominis, Rebusq; publicis  
totius Europa, quam Rex optimus ac pacificus alienum habeat animum à  
sævo Marte; quam paci Germania bene cupiat; quàmq; nihil eorum præ-  
termiserit, unde tam ingenti bono frui posset: missus est denuò suo nomine  
Legatus, Ill. nempe atq; Excell. Comes Arondelius, ad exquirendum no-  
visimum Cæsareane voluntatis oraculum; experiendumq; , an spes ulla  
reliqua sit, postulatorum suorum equitatem & modestiam consequendi.  
Successum dies brevi dabit : cum diutiùs in ambiguo hæere, suspensus  
exspectatione rerum incertarum, Regi ac Domino meo non sit animus.  
Si, hoc ultimo viæ Compositionis conamine, S. Regiæ suæ M. compertum  
fuerit, in Aulâ Cæsareâ facta dictis discrepare, nec effectum amplissimis  
pollicitationibus respondere; nihilq; queri, præter solitas artes, versutias,  
& frustrationes meras: ut tempus interea protrahatur; federû ineundorû,  
ac rerum gerendarum, occasiones elabantur: haud ultra passura est, fa-  
cilitati ac patientiæ suæ illudi; nec constituit ulterius incedere per ignes  
illos, suppositos cineri doloso: verùm aliâ viâ rem aggredi; tantamq; in-  
juriam, sibi suisq; illatam, omnibus, quibuscunq; poterit, mediis ulcisci;  
omnium cladum & calamitatum, quæ exinde orientur, invidiam igno-  
miniamq; in capita eorum, per quos steterit, quò minus dissidia compo-  
nerentur, cumulaturus. Justum quippe bellû, quibus necessarium; & pia  
arma, quibus nulla, nisi in armis, relinquitur spes. uti Põtius ille, apud po-  
pulares suos Samnites. Sin verò, rebus in Germaniâ satis superq; exul-  
ceratis, nec ipsorum propriis aded stabili loco positis, & ex voto cedenti-  
bus, Cæsareani tandem, bellorum pertasi, animum seridò ad pacem incli-  
nare depræhendentur: ( ut sæpè ex transverso occurrunt casus, quos vix  
audeat quis optare ) Legato Britannico in mandatis datum; ut, in hoc  
casu, cum Cæsareâ M. nomine regio, de communi Orbis Christiani tran-  
quillitate agat ac tractet: simulq; cum Legatis S. Regiæ M. Daniæ, in e-  
undè finè ( ut intellexit ) Viennam transmisissis, consilia opemq; conferat;  
ad Pacem (inquam) obtinendam, stabiliendamq;: haud verò Pirnensi illi  
similem, cui comes adheret ruina lamentabilis, aut servitus morte tri-  
stior, & quovis supplicio magis detestanda, Populis ac Principibus ad de-  
cus & libertatem natis: sed ejusmodi pacem, quæ tuta, pia, ac perpetua;  
quæ sejuncta à tyrannide ac servitute; quæ nihil habeat insidiarum; quæ  
talis sit in recessu, qualem dulce promittit nomen Pacis; quæ deniq; S. Re-  
g. M. Regnoq; Sueciæ, uti optimo jure convenit, honorifica esse queat.

Dum

Dum hæc tanti momenti negotia, Legato Britannico Viennæ tractanda & expedienda, committuntur; ad serenissimos Electores, Saxonem nempe & Brandenburgicum, me ablegare, consultum duxit Rex ac Dominus meus benignissimus: nec dubitat, quin eorum alter, in pristinâ erga Domum Palatinam animi propensione & affectu, constanter perseverabit. Alter, utcumq; antea, haud bono Genio ductus, in commune bonum iniquiori animo fuerit; jam forsân, probè consideratis, quæ meritò perpe-  
sus est, malis, divinâq; vindictâ turpem ipsius ingratitude, scdamq; partis Evangelicæ desertionem, prosequente, haud gravatim rectora & tutiora monentibus auscultabit. Nunquam enim intempestivus est regres-  
sus ad sanam mentem: neq; errantibus adhuc salutaris portus, modò con-  
silia in melius mutare velint, deesse poterit. Ab utroque quod mihi regio nomine petendū, est: ut utring; , tam conjunctim, quàm divisim, ad Cæsarem factâ, solenniq; & authenticâ formâ conceptâ declaratione, ipsi inculcare velint; se priori protestationi suæ protinus insistere, mutuôq; cõ-  
currere, ad impetrandam plenariam ditionum dignitatisq; Domus Pala-  
tinæ restitutionem: representâdo hujus rei necessitatem; ut-pote sinè quâ de debito Principum atq; Ordinum, in caput Imperii, obsequio & reverē-  
tiâ, aut inter se invicem consensione, de pace deniq; ullâ, omninò desperā-  
dum sit; & econtrâ convulsionum, ruinarum, ac lacrymabilis belli cau-  
sas, occasionesq; perpetuas futuras.

Atq; ex his, quæ jam dicta sunt, Vestre Exc. constare spero, quæ Regi ac Domino meo Boni publici incumbat cura ac studium; quòque sit ani-  
mo erga S. Regiam M. Regnumq; Sueciæ. Et, quandoquidem cum Iphis, imò & cum V. E. (cujus consilio, prudentia, & authoritati, quàm pluri-  
mum tribuit) optimam colere amicitiam, arctioremq; necessitudinem in-  
ire, percipiat: ab eâdem etiam majorem in modum contendit; ut, quo lo-  
co res eorum sitæ sint, liberrimè communicare dignetur: & , num Ser. Re-  
gina, Regnumq; Sueciæ, cum Regiâ Britanniarum M. imò & cum S. Da-  
niæ Rege, (si res ita ferat) in communi pace promovendâ, modò ipsi Cæsareani eò inclinent, collaborare, & consilia operamq; conferre, velint.

Quod superest, Rex ac Dominus meus serenissimus, Ill. vestre Exc. va-  
letudinem optimam, ac prosperrima quæq; optans, ipsi regium favorem  
ac gratiam singularem cumulatè defert. Atq; hæc sunt, quæ, jussu ac  
mandato regio, vigore literarum fiducialium, & secundum instructiones  
concreditas, E. Vestre exponere debui; benevolum ipsius Responsum, quâ  
par est reverentiâ, expectans. Stralsunde, 3. Junii, Anno 1636.

Ill. V. E. studiosissimus

JOS. AVERIE.

RESOLUTIO AD PROPOSITIONEM  
superiorem, Legato Britannico Stralsundii data.

**S**umma eorum, quæ, nomine ac mandato Ser. Regiæ Maj. Magnæ Britannia, Ill. suæ Exc. proposuit dictæ S. Regiæ M. Pro-legatus, huc paucis recidere videtur. In primis, res præclare gestas invictissimi quondam Regis Sueciæ, serenissimi ac potentissimi Principis, D. GUSTAVI-ADOLPHI, vere MAGNI, divæ memoriæ, abundè testari; quantum, virtute ac fortitudine suâ incomparabili, de universâ Re-publicâ Christianâ meruerit: corruptissimi verò seculi ingratitude, invidiam, malitiam, obstinens; quò minùs vivus propositum sibi scopum assequi potuerit. Et quanquam, post suæ S. R. M. fata, intervenientes quædam eclipses, justissimæ causæ gloriam parum obscurare voluisse, visæ sint: erupisse tamen eam denuò (multorum vi, fœdâ, fedifragâ turpiq; ingratitude, frustrâ renitentibus) in pristinū splendorem; Deo copias Suecicas, & ill. suæ Exc. directionem, tot insequitis victoriis beante. Gratulari itaq; suam R. Maj. Magnæ Britannia, S. Regiæ M. Sueciæ, de tantâ felicitate: eidem que, missis jam simul peculiaribus literis, fraternâ salutem, diurnam valetudinem, auspiciatam Imperii administrationē, & prosperos consiliorum votorumq; successus, ex animo apprecari. Deinde, S. R. M. Magnæ Britannia gratias agere ill. suæ Exc. ob merita & officia, quæ cum antehac semper abundè; tum nuperâ declaratione, quâ piam gloriosissimi sui Regis, innocuos Principes, ac præcipuè Ser. Electorem Palatinum, restituendi, intentionem contestata est, in causam Palatinâ contulit. Rogare, ut non modò sua Exc. in hoc proposito pergat; sed & Ordines Regni Sueciæ eò disponat: ut, conjunctis animis operisq; salutem publicam porrò propugnent; nec cessent, donec metam sint assequuti. S. R. M. Britanniarum, gratitudinē, & cuncta, quæ ab amicissimo Rege vicissim proficisci vel exspectari queât, polliceri. Denique, ut S. R. M. Magnæ Britannia pro præsentem ostendat, quantum in ill. E. suâ reponat fiduciæ; ipsi communicare voluisse, quàm speciosas nuper oblationes ceperit ab Aulâ Cæsareâ, tam pro cassatione Banni, quàm restitutione Palatinatus; si res adhuc mutuis legationibus tentaretur. Etsi igitur, tot antehac experimentis elusa, justissimam causam habeat, potiùs armis innocentium Nepotum jura vindicandi; quàm ut ejusmodi ampliùs promissis fidat: quò tamen pacificus S. R. M. animus toti Mundo constet; solennem Legatum etiãmnū eò expedire voluisse, pro extremo Cæsaris oraculo intelligendo. Quòd-si hoc ultimo conamine depræhēderit, facta dictis non respōdere; sed solitas tantum artes, verfutias, frustrationes, & temporis lucra quæri: non passuram ampliùs, patientiæ & facilitati suæ illudi; sed tantam injuriã, sibi suisq; illatam, omnibus modis ulcisci constituisse. Sin verò ad pacem Cæsareanos inclinare deprehenderit: Legato mandasse, ut de communi Christiani orbis tranquillitate agat, & consilia opemq; cum Legatis Danicis Vienna conferat, ad Pacem obtinendam: non illi Pirnensi similem, cui ruina lamentabilis, & servitus quovis supplicio detestabilior, morteq; adeò ipsâ tristior, adhæret: sed ejusmodi pacem, quæ pia, tuta, perpetua; à tyrannide, servitute, insidiis se-juncta; atq; adeò S. Regiæ M. Regnoq; Sueciæ honorifica esse queat. Sed & ipsum D. Pro-legatum Averie ad Electores, Saxonem & Brandenburgicum, jam quoq; missum esse: ut, quoniam non dubitet S. R. M. Magnæ Britannia, alterū in pristino erga Domū Palatinam affectu perseverare: alterū, utcunq;  
antea



antea, haud bono genio ductus, in cōmune Bonum iniquior fuerit; jam tamē, consideratis, quę merito passus est, malis, divināq; vindictā turpē ipsius ingratiudinē, fœdamq; Euangelicę partis desertionē, prosequente, ad sanam fortē mentē regressurū: ab utroq; petat, ut Cæsari solēniter inculcēt, se priori protestationi suę penitens insistere; & pro plenariā ditionum dignitatisq; Domus Palatinę restitutione impetrandā, mutuò concurrere velle. Ex quibus omnibus cū constet, quæ S. R. M. Magnę B. Boni publici cura incumbat, & quo animo erga S. R. M. Regnumq; Suecię feratur, quāmq; percupiat, & cum ipsis, & cum ill. suā E. optimam colere amicitia, arctioremq; necessitudinē inire: ab eādē cōtendere, ut, quo loco res Suecicę sint, secum liberē cōmunicare; & num Ser. Regina, Regnumq; Suecię, cum S. R. Britāniarū M. imò & cum Ser. Rege Dania, (si res ita ferat) in cōmuni pace promovēdā, consilia operamq; conferre velit. Pro-ut hæc omnia fusiùs, in dictā D. Pro-legati propositione, efferuntur. Ut Ill. E. sua ad singula brevibus respondeat: In-primis gratias agit S. Regiæ M. Britanniarū, quas animo concipere potest, maximas: quòd prosperos armorū Suecicorū successus, non tantum animo libenti semper audiat; sed eosdē quoq; peculiaribus ad S. R. M. Suecię literis, & hac ad se legatione, publicę lætitię, gratulationis, ac votorū regionum applausu, prosequi voluerit. Literas ad S. R. M. Suecię, primā quāq; opportunitate, transmittet ill. sua Exc. non dubitans, quin, ut suę S. R. M. gratisimę futurę sunt; ita iisdem è Sueciā pluribus respondeatur. Valetudinis ac prosperitatis vota, quæ tum S. R. M. Regiæ suę clem. tum sibi-ipsi, cum regii favoris contestatione, S. Regiæ M. Britānię tam cumulatē defert, agnoscit ill. E. sua animo grato & officioso. Optat suę S. R. M. vicissim diuturnā constantemq; sanitatem, felix imperium, & optimorū consiliorū prosperissimos successus. Magnas profectò remoras, in continuando laudabili clemētissimī quondā Regis sui proposito, post præmatura nimium ejusdem fata, non tam ab hoste, quàm ingratissimis quibusdā Sociis, objectas sibi fuisse, & fatetur, & justē conqueritur sua Exc. Sed nulla Seculi vel ingratitude, vel invidia, vel malitia, tantum hætenus, Deo impediēte, nocuere ill. suę E. consiliis: quantū vicissim erigit ac solatur eandē tam honorificū tanti Regis iudicium; quod & de eximiis S. Regis quōdam sui virtutibus meritisq;, & de præsentium armorū Suecicorum iustitiā ac pietate, profert. Quemadmodū ex eo, aliisq; multis documentis, singularē Ser. Regiæ M. Br. erga Ser. Regiā Regnūq; Suecię, animū affectumq; reverenter agnoscit: ita obnixè rogat, ut in eodē porro perseveret; sibiq; vicissim cuncta reciproca amicitia ac necessitudinis officia, ab iisdē, indubiè polliceatur. Cæterum, magno quoq; gaudio afficitur sua E. quòd intelligat, officia sua, quibus hætenus Domū Palatinā prosequuta est, S. Regiæ Br. M. quoq; accepta fuisse. Certè, quicquid eā in re hætenus facere potuerat, libenter fecerat ill. sua E. & nisi cōmuniū Amicorum, ac potissimum Domus Palatinę restitutio, à S. Regiā M. Suecię, tam sanctè ei hætenus commendata fuisset: fortasse jam-dudū exitus bello inventus esset. Pergit quidem, & porro impigrè perrectura est sua E. in eodē proposito; quò-usque Deus cōcesserit ei gratiam, & res rationesq; S. Regiæ M. Regniq; Suecię un. quā tulerint: & constituit, cū eo, tum aliis nominibus, ipsamet hisce diebus in Sueciam tantisper excurrere: ut cum S. R. M. Regniq; Ordinibus, firma in omnes eventus consilia belli pacisq; capiantur. Sed, nisi alii quoq;, quorū non minùs, quàm Regni Suecię interest, cōmunes Amicos, mutuamq; securitatē, firmiùs stabiliri, re ipsā manum operi admoverint: haud difficulter cogitare potest S. R. M. Britanniarū, S. Regiā M. Ordinesq; Regni Suecię, vix diu pati posse, ut solo suo periculo damnoq; res publica ampliùs agatur; sed sibi quoq; suisq; rationibus è re tandē cōsulturos. Quod quidē quemadmodū optimo jure facere possunt: ita, si antè, ut faciant, inducti fuerint, quàm cōmunibus Amicis sit plenè consultū: pro regiā suā prudentiā, facile judi-

judicabit S. Regia Br. M. quàm arduū difficileq; sit postea negotium futurū. Ill. sua Exc. quantū in se est, præcavere quidem conabitur cuncta præjudicia : nō potest tamen, quin simul S. Regiæ M. M. Britaniæ, heroicorū consiliorū maturationem, unicè a. humiliter cōmendet. Deniq; quòd S. Regia M. extrema tandem cōsilia sua, in hoc passū, cū ill. suā E. tam sincerè cōmunicare dignata est : ex eo cum veneratione agnoscit, quātum fiduciæ S. R. M. in suā E. reponat. Ut S. suæ R. M. vicissim constet, quo loco res rationesq; S. Regiæ M. Sueciæ sint : easdem ill. sua E. tam ore tenus, quā in scriptis, sincerè aperuit ill. D. Pro-legato, ad S. Regiā M. humilimè referendas : & magno sibi honori ducet, si earum ulteriores successus in posterum quoque cum S. R. M. pariter cōmunicare possit. Quòd Imperator R. speciosas oblationes S. Regiæ M. denuò fecerit, tam pro cassando Bāno, quàm restitutione Palatinatus : id sua E. facile credit, ut in eā Aulā valdè solenne. Dignum quoq; tanto Rege, quòd S. R. M. tanquā Rex pacificus, legationibus hisce, tam ad Cæsarem, quàm Electores Protestantes, rem adhuc semel tentare decreverit. Libenter tamen juxtā intelligit, quòd tot antegressis documētis edocta, non itā fidat ejusmodi consiliis : ut se propterea à realibus dimoveri patiatur. Quicquid enim aliud legationes effecerint : vix unquā plenariā, & dignitatis, & ditionum Electoralium, restitutionem obrinebunt; nisi armatis cōsiliis suffulta: & omnium securissimè procedent, quicunq; tātis de rebus suscipiuntur, tractatus sub clypeo. Hoc unum nō sine causā veretur sua E. ne, hac occasione abutentes Cæsareani, consuetis artibus æstatem extrahāt; & id saltē efficere conētur, ne S. Regiæ M. Br. hoc anno ulla rei armis gerēdæ momēta suppeditentur : ut interim res aliā faciē induant; aliis ab hoste (quod Deus avertat) subjugatis; aliis sub onere fathiscētibus; & diversis consiliis sibi quibusq; consulentibus. Quod quidē ne eveniat, S. Regiæ Br. M. maturiori judicio considerandū relinquitur: judicaret ne consultum, pro cunctis ejusmodi præjudiciis præveniendis; ut statim quoq; vel arma propria simul expedirētur, vel saltē Suecica sublevarentur interim subsidiis : ne, qui nunc à S. Rege Daniae urgetur, vel ab Ill. Megapoleos Duce ad finē ferè perductus est, tractatus cōsummetur, antequā S. Regia M. Br. suo quoq; suorūq; interesse propiūs cōsuleret. Quā de re, qui vices absentis ill. suæ E. in his oris sustinebūt, S. Regiæ M. Br. ulteriorē sententiā, ad S. Regiā M. Sueciæ referendam, primā quāq; occasione exspectabūt. Quicquid tamē ejus sit : quòd-si, præter spem, Cæsar Legationis æquitati ex voto responderit; ac priores tractatus rationesq; morā patientur, ut res ad universalem pacem deveniat : quemadmodū S. Regia M. Sueciæ eo casu certa est, S. regiā M. Br. præ omnib. dignitatiq; cōmodisq; suis, regniq; Sueciæ, ex animo bene cupere : itā nō dubitat sua E. quin Regina sua clemētissima (cujus eā dere sententiā, primā quāq; occasione exquisitā, ad S. R. M. Br. referendā curabit) libēter cū suā R. M. cōcurrat, ad cōmunem ejusmodi pacē stabiliendā. Et, si quid præclari eādē obtineri posset, pro-ut S. Regia M. Sueciæ, nullius interpositioni cum honore libentiūs voveret; ita S. R. Majestati Br. ad omnia prosperi successus fortunam precatur : Deum rogans, hanc mentem cunctis terrarū moderatoribus det; ut non nisi honestam, piam, securam, tandem Pacem velint!

Atque hæc sunt, quæ ill. sua Exc. illustri Domino Pro-legato, pro tempore, respondenda habuit. Quæ omnia ut S. R. Majestati Britanniarū, cum humilimā officiorum ac studiorum suorum recommendatione, primā quāque occasione, favorabiliter referat, ab eodem peramicè contendit. Cui de cetero felix iter, & ceterorum sibi commissorum optatam expeditionem, ex animo precatur.

Datum Stralsundii, die 11. JunI, Anno 1636.

**AXELIUS OXENSTIERNA.**

*[Faint, illegible text or stamp]*

Ni 2086

ULB Halle 3  
001 923 03X




P  
Sv

WNA







RIVM  
IONIS

C. Æ:

niâ tractatæ;  
omulgatæ.

1635.

18.  
æ.